Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1095
Quelle:
Copyright:

Marbodo tributa extat edit. *cit. col.* 1535. Verum, dum ibi versus censet 219. in Codice numerantur 251. unde ex eo plenius posset restitui. Discrimen incipit post v. 35. ubi noster inserit:

Ut melius uiuat uite se munere priuat,
Gaudia morte breui meriturus perpetis eui &c.

Praeterea multi versus trajecti sunt, et lectio frequenter variat.

XII. *fol.* 20. *Incipit uita Sancti Alexii confessoris.* Initium:

Eufemianus erat. ceu lectio sacra reuelat
Diues et ingenuus romana pretor in urbe.
Atque timoratus. uxoris lege ligatus
Vultu formose nimis et stirpis generose &c.

Sit et ista *Marbodi* aut *Hildeberti*, dum aliud edocear. Versuum numero superat omnia hactenus relata. Definit vero:

Cui vox digna meli resonet super ethera celi.

Mirum tamen inter hunc versum et Librarii formulam: *Explicit vita Sancti Alexii confessoris*, interjici Versus 27. de Rerum humanarum instabilitate, qui ordiuntur:

O mundi curas. o res hominum perituras.
Sic intricantur. sic passim diuaricantur &c.

XIII. *fol.* 28. *Incipit uita Sancte Marie egiptiace edita a bildeberto cenomannensi episcopo.* Extat edit. *cit. col.* 1261. Codici satis consona. Initium:

Sicut hyemps laurum non urit, nec rogus aurum &c.

Codicis nulla in *Cantus* divisio.

XIV. *fol.* 45. *Incipit uita sancte Thaisis peccatricis.* Et quidem sic:

Vitam cuiusdam mulieris carmine dicam &c.

Extat inter Carmina *Marbodi* edit. *cit. col.* 1541. sed a *Codice* frequenter variat, quo tamen 4. versibus plenior est.

XV. *fol.* 48. *Incipit De S. Johanne baptista.* Carmen hexametrum versuum 27. hoc initio et fine:

Agnum